DVORVM REGVM
HINC
CATHOLICA
AEQVITAS
HINC
GALLICA
VIOLENTIA
demonſtratur



DVORVM REGVM
HINC
CATHOLICA AEQVITAS
HINC
GALLICA VIOLENTIA
demonstratur.

CATHOLICI REGIS animus, & mens tenacissima recti, qua Maiestas illa, augustissimo suo sanguine heres auitarum heroicarum virtutum, in omnibus rebus integrè sanctèq. mouetur, adeò manifesta est, vt homines huic Imperio subiecti, quibus modò aliqua notitia rerum, quae publicè aguntur, sustineant impositum sibi hoc naturae lege onus, officiumque necessarium manifestandi caeteris quoque mortalibus id quod ipsi facilè perspicere, facileque iudicare possunt. Catholica nempe arma, & quicquid bellorum in Galliae Regem ab Hispano Rege, consanguineis, amicis, foederatisue eius, aut motum sit, aut moueri debeat, habere iustas piasque causas, nec vllo modo potuisse adhuc, aut in posterum posse omitti. Idque declarari, & palam fieri oportet ob eam maxime causam, vt homines, ad quos

horum

horum armorum siue tumultuum exitus aliqui fortasse pertinere poterunt, tantò antea cognitum habeant exploratumq; perspectum, vndenam ista necessitas atrocissimarum rerum casuumque miserandorum, qualia portenta, & accidere vidimus iam, & expectari grauiora adhuc possunt. Christianissimi Regis item Ciuitates, & Prouinciae, subiectique vniuersi, apertis ad huiusmodi notitiam oculis perspicient clareque videbunt absurdam illam temere saeuientem impietatem, quae per bella iniusta & gratuita ipsos ad nuditatem penè vltimam desperationemq; redegit. Demum, notitia haec atq; manifestatio reteget penitusq; nudabit errorem, quem fraudes & artes & commenta, siue machinamenta Ministrorum illorum obijcere animis conantur per libellos inanes, & fallacia scripta, narrationesq. rerum adulteratas, ita, vt, in iudicio atq; aestimatione Regis vtriusq; actionum multi hallucinentur, & suis momentis examinare ista non possint. Cui malo, pro Catholica parte obuiam eundum est, atq; prouidendum, ne longius id serpat. Nam, si occultae speculationis tacitique iudicij res esset, minus fortasse detrimenti inde acciperetur. Nunc, cùm fines egressa illos, ad opus etiam saepe deducatur, operae pretium est, conari atque

effi-

efficere, vt genus humanum intelligat, turbarum, calamitatum, cladium, atq. aerumnarum omnium, quas Gallia patitur, vnicam veramque causam esse ambitionem, atque cupiditates immoderatas Ministrorum illius Regis; qui, dum assequi volunt ea, quae sibi proposuere, nihil pensi habent euertere interim fortunas, honestatem, vitamque subiectorum.

Sanè, ea, quae Ministri isti praué & iniquè agunt, adeò, simul nota omnibus, simul atrocia sunt, adeoque priora posterioribus quotidie superantur, vt apud integros, sine ira & studio iudices, aestimatoresue idoneos, nulla argumenta, nullasue probationes vltra afferri attineat; ipsaque simplex & vera notitia rerum sufficere potest. Quae res ipsae scilicet & facta importuna stant in conspectu omnium, & in communi luce versantur, haud minus profectò, quàm importunitas etiam & violentia ipsorum, à quibus ea tractantur & fiunt. Caeterùm tamen à nobis etiam explicari ista conueniet proponiq. distinctè & ordinatè, nullo praeterquam veritatis ipsius apparatu, quae abundè potens pollensq. est aduersus ingenia hominesq. istos, aliàs quidem per simulationum occulta grassantes, aliàs verò impotentes sui, temereq; ac proteruè effusos, impiosque semper, & publico exitio natos.

Eludant

Eludant licet politici isti sacra Religionemque & honestatem, ludibrioque habeant fidei & amicitiae fas, & iura omnia humanae societatis: nullus tamen eorum erit, quin credat fateaturq. hoc. Vincula affinitatum inter duos Reges, & sanguinem ritè ac sanctè consociatum, potuisse etiam ac debuisse vinculum efficacissimum esse animis ad amicitiam inuicem pari sanctitate colendam: quo mutuo nexu deuincta & adstricta Imperia haec, alterum alteri fideliter, ac sincerè in beneuolentia responderet, praestòq. esset. Nam, si accuratissima meditatione Reges ipsi voluissent conquirere, & assumere vltro caetera omnia, quae sapientia & prouisu diuino parata in id, ac destinata sunt, nihil vnquam, vel reperire, vel optare potuissent, quod stabilius validiusque videretur. Hinc palam est, manifestòq. tenetur: per quos violata sit fides, quiue causas & initia calamitatum inter subiectos Imperij vtriusq. proseminarint: hos, non solùm reos esse violati Naturae Gentiumq. iuris, sed etiam prouocasse ac lacessiuisse diuinas in se iras, quae tantò acriores esse solent, quantò magis distulere vindictae tempus.

Nota res est, omnium celebrata sermonibus, & frequens in ore famae: quemadmodum

scilicet, fessis iam vtriusq. Imperij principibus & subiectis tot malorum calamitatumque perpessione, mouerit Regum animos misericordiae sensus erga inclytam adeò nobilemque partem Christiani Orbis humano toties sanguine cruentatam, atque ita Philippus II. & Henricus IV. ad consilia pacis inclinarint. Et annuente, multùmque adiuuante Clemente VIII. Pontifice Max. ingenti Christianorum omnium bono conuenit res; paxque inita est vi. Non. Maij ad Verbinum anno Sal. CIϽ IϽ XC VIII. Tempore hoc annoq. pacis initae, Rex Catholicus haec loca arcesque habebat: Cales, Ardreum, Monthulinum, Durlanum, Sciapellam, Catheletum in Picardia, Blabetumque, & per Britanniam minorem alia pleraque, cùm interea Hispanae, siue Catholicae ditionis Imperijque ne glebam quidem vnam Rex Christianissimus obtineret. Caeterùm, quia subibat cura illa animos, non posse fidam diu esse stabilemque pacem, nisi bello parta restituerentur, magno circa id ambitu & solicitudine atq. efflagitatione Gallorum, sed praecipue Pontificis Clementis authoritate motus Rex annuit, vt reciperet haberetque sua Gallus: & diù agitatae conditiones denique firmantur atq. perscribuntur. Quarum secundo

capite consensere ita, inuicemque promisere Reges. Bonam, fidam, perpetuam, stabilemq. pacem sanctè inuiolateque seruaturos, ipsos, filiosq. suos, qui nati essent iam, quiue postea nascerentur, successores, heredes, subiectosuè vniuersos, quacunq. fines Imperij vtriusq. paterent. Fraternis vtrumque sensibus alterius honori ac securitati commodisq. consulturum, Amicos inimicosq. eosdem partem vtramque habituram: nec vlli subsidia opemue laturos qui parti alteri nocere vellet. Obliuio praeteritorum indicta. Foedera, conspirationes, consilia, meditamenta, quae Regum alter aduersus alterum, suscepta initaue haberet, siue habere posset, abolita ex eo die, penitusque damnata. Damnata item penitusq; sublata & perpetuo silentio oppressa, quaecunque, vel Reges ipsi, vel aliqui subiectorum, siue directa & aperta, siue occultiore petitione, per cuniculos ambagesue aliquas, struere, tentare, postulare damnosa inuicem possent: atque in id, sicut in caetera omnia obligata Regum fides. Si quis, vel si qui, huius, illiusuè Imperij homines, negotio actioniuè alicui sese immiscere volent, quae res, quoduè negotium & actio Regum alteri detrimentum importare possit: tunc, vt Rex ipse, in cuius Imperio, homo,

homo, hominesue illi erunt, ne cunctatus fuerit reuocare, coercere, punire turbatorem, siue turbatores publicae pacis, regiarum vtilitatum inimicos.

Pax conuenerat in has leges. Sed nondum exierat annus, cùm repertum notatumq. est Nouanum quendam ex Galliae Regis hominibus esse in Flandria cum Gallico equitatu pro rebellibus illis arma ferentem. Qua commotus iniuria Philippus III. Henrico IIII. renuntiari, dicique iussit in hunc modum. Nisi publica fides, & pacta conuenta seruarentur, pacem bello fore iniquiorem. Nihil enim tutum aduersus fraudes & hostilia facta eius, qui verbis quidem praeferat amicitiam, re autem ipsa hostis sit.

Responsum Christianissimi illius Regis ad ea huiusmodi fuit. Sibi esse in animo seruare bona fide pacem, atque efficere, vt à suis etiam perinde seruaretur, prout conditiones acceptae scriptaeq. essent. Nouanumque reuocauit, & proposita capitis poena, proscriptionisq. bonorum omnium, sex hebdomadarum spatium praefiniuit, intra quod tempus non redijsse domum militi capitale esset.

Edictoque, alio, quod anno 1599. mense Iunio Bloisij scriptum promulgatum est,

cum

cum poenis interminationibusque ijsdem, vel tuis quemquam è suis ad arma illa ire, aut militare ibi contra Regem Catholicum: quae manifesta denuntiatio atq. professio fuit, hostilia facturos esse Gallos quotiescunque pro Holandis aduersus Hispanum arma ferrent.

Eo Regis Henrici edicto videbatur obuiam itum esse licentiae iniuriaeque huic rebellibus auxilia mittendi cùm repente nulla prouocatus iniuria Rex idem, occultius tamen, & quaesito obtentu quodam ad pristina redijt. Copiae saepius auxiliares ex Gallia missae in Holandos: atq. expostulanti de ea re & conquerenti Hispano responsa fere dabantur haec. Magnam pecuniae numerum Holandos mutuum dedisse Regi tunc cùm eiusmodi subsidijs ille magnopere condigeret: pro eo beneficio nūc ita referri gratiam, & quandam hanc esse mutatitiae pecuniae persolutionem. Aduersus ea reclamare pergebat Hispanus, pergebatq. alter mittere auxilia, sicuti postea demonstrabitur; videntibus interea cunctis sperni resciindiq. illud Bloisense Edictum: & causam antecessisse, quae speciem ac velamenta praeberet illa quidem, sed re ipsa inanis, esset ac momenti nihil ad iniuriae excusationem facere posset. Sed sicuti Rex ille altiora & infe-

ftiora nonnulla coquebat aduersus Hispanum, quae finita diuinitus eius vita, irrita fuere: ita nihil ambigitur, quin causa illa injuriaque, tota & violatio ipsa Edicti eodem, quo cetera cuncta pertineret: nempe ad Catholicae Maiestatis, pacisque communis, & publicae salutis euersionem praue ambitioseque & vanè meditatam. Vnde piorum sapientumque Virorum graue iudicium & constanter pronunciata sententia, Non temere fieri si crederetur, immissam illam de coelo vltionem, finemque Regis adeò miserandum, opus fuisse Numinis.

Tunc, sic patrata caede, plerique censebant, tempus illud esse oportunum castigandae Catholicis armis admonendaeq. Galliae, quod & facile atq. expeditum foret, ob pactas eo tempore cum rebellibus inducias, & iustum, ob conditiones ab Rege Henrico violatas. Ac de ea re ita differebant. Non sine Numine factum quòd tanta in sinum occasio delapsa esset, dum Vidua, dum Rex pupillus, dum Regni proceres factiosi maleq. contenti, & omnia demum nouandis apta rebus, & lacessentia vltro bellum hostemq., & cladem. Atq. in tali tempore tamen Rex Catholicus tantae opportunitati rerum, animi sui magnitudinem antetulit: & velut gloriae Imperijq. satietate,

contemptor occasionum, statuit non inserere Maiestatem suam illius Regni seditionibus ac turbis, quas fouendo & alendo, ipsum occupare Regnum potuisset. Quin potius, vltro suscepit, & viduae patrocinium, & pupilli tutelam: Ingentiq. Galliae bono annuit, vt regnantium hodie Iuuenum matrimonia mutua inirentur, inclinante etiam atque conspirante Regina Matre ad firmandam tali foedere pacem, quam ita inter se coniuncti Reges heredesq. & successores eorum, velut incomparabile bonum praestarent vtriusque Imperij subiectis: idque pulcherrimum Orbi Christiano munus darent. Hanc Catholici Regis & Christianissimae Reginae mentem publicae tabulae testantur, quae, tum in Catholica, tum in Gallica Regia confectae & obsignatae sunt dum vtraque Virgo hinc inde ritè desponderetur: Et certa ex eo tempore spes fuerat, nihil vnquam tale inposterum expectandum timendumve fore, quale susceptum factumq. esset, cùm rupta conditionum fide, Catholici Regis rebelles, & hostes, Gallicis armis impie sustentarentur. Quantum humanis prouideri consilijs posset, quieti ac securitati consultum esse videbatur. Sinceritasque Catholici Regis, & mens propensissima ad pacem, ac summum eius

rei studium; vt, tam in vtroq. Regno, quàm apud caeteros quoq; Christianos Principes, & Reges quiete & tranquille viueretur & pacata omnia essent, satis in eo negotio declaratum erat: sed & insecutis postea temporibus eadem optima voluntas placabilitasq. Catholici Regis haud semel illustri testificatione significata est. Namq. cùm ciuilibus bellis Gallia tota arderet, ac diuisa in partes studia Principum illorum traherent raperentq. Regnum, cùmque in ea rerum colluuione, pars praecipua malorum essent ijdem Holandi, Germaniaeque Protestantes, qui Gallicis hodie auxilijs maxime nituntur: nunquam interea desiere Philippus III. & Philippus IIII. offerre Reginae promptas Imperij sui opes ad tumultus eos rebellionemq. discutiendam, vt pacatum & stabile Regnum pupillo conseruaretur. Catholiciq. Regis erga Viduam Pupillumque benignitas tunc maxime spectata est, cùm Mons Albanus tutissima rebellium illorum sedes obstinatè defenderetur. Tantum abfuit, vt Rex noster vllo vnquam tempore praestò vellet esse ijs, qui Regi Christianissimo bellum aliquod molirentur, vt ab anno M. sexcentesimo decimo nono ad annum huius seculi vigesimum sextum, cùm infesta sua consilia, & exitiabiles ei Regno cona-

tus ad ipsum deferre tentarent homines, per quos & patrari illa poterant, non modò ad animum, sed ne ad aures quidem ipse quicquam eiusmodi rerum admiserit, vltroque monuerit instigatores illos, ne solicitarent publicam quietem, neue auxilium ab se vllum sperarent. Viderent quid loquerentur, quaene sibi verba exciderent è dentium septo. Omnia resciturum esse Christianissimum Regem, cui damna sic & pericula illi pararent. Resciuitque, & de omnibus rebus ordine admonitus est, prout tale quicquam moueri coeptum erat. Quam Catholicae Regiae simplicitatem atque magnanimitatem ingenti Nominis huius gloria consignatam agnouit excepitque fama; litteris, libellis, scriptisque eorum, qui arguebantur ita irritique dimittebantur.

Nihil ista profecere, vt beneuolentiae ingenuitatique tantae paribus ex Gallia sensibus, & pari animorum liberalitate responderetur ad id saltem vt capita conditionum ludificari desinerent. Namque induciarum tempore Prouinciae rebelles magnum militum numerum habuere, qui Gallica stipendia merebant, aereque illo sustentabantur & Catholici Regis super eo negotio querelas, siue denuntiationes, Ministri illi varie eludebant. Induciae

postea

postea tolluntur, quae Catholico Regi cum rebellibus suis erant; atque per idem fere tempus inualuere per Galliam ingenia magis adhuc seditiosa quaedam, & turbulenta, quorũ inimica publicae quieti superbia & vanitas flare multùm illinc coepit, grassarique & saeuire multùm. Et Rex ille iam opera & consilio vtebatur hominum, qui, sicuti foedam, atque abominandam sui memoriam reliquerunt: ita fas, & fidem, & ius omne contemnebant. Rupta, inde, & soluta penitus verecundia diuinarum humanarumque legum, & tranquillitas omnis sublata illa, cuius vestigia vtcunque nonnulla manebant. Ex eo ministrare Holandis quotidie vires: ac si argueretur, inficiari, & varia perplexa responsa dare pergebat Gallus, ambagesq. verborum planè varias implicabat, quia veri nihil & recti, quod posset afferre habebat: nulla satis idonea excusatio, siue defensio ad manum erat, tàm indignae rei; quàm erant foedera inita cum rebellibus Dei simul & Regis in eiusmodi conditiones & verba, quae ab Catholicae Religionis cultu, & professione omnino abhorrerent. Ab minore illo cum rebellibus Holandis foedere transitur ad infestissimum aliud teterrimumq. foedus, quo totius Europae Principes

domina-

dominatus vniuersos illigare Galli tentauerũt, & consilia tantae coniurationis erupere anno 1625. quo anno, & insecutis deinde mensibus omnes Catholici & Sacri Romani Imperij Austriacaeq. Domus Prouinciae inuaduntur. Funesta per Germaniam bella, per Flandriam, Pannoniam, Italiamq. mouentur. In Hispanias, in Asiam, in Americam vsque vim inimicam extendêre Galli, militeque, & pecunijs suis ad omnia loca rem gessere, Exercituumq. duces fere nationis eius erant. Catholicum nomen omne per Europam armis illis petebatur ad excidium. Hispana Maiestas sola erat, quae religionis & fidei defensionem vere suscepisset. In hanc armati Haeretici omnes: & pro Haereticis Gallici ministri stetere. Atque, quò solutiora & expeditiora cuncta Rex ille ad facinora tam execranda haberet, possetq. liberius & impetu maiore incumbere in vnam eam rem, quam toto animo, & tota virium suarum mole suscepisset, pacem iniqua conditione cum Hugonotis fecit, siue potius à subiectis ipse suis accepit pacis indignae conditiones: cuius rei dedecus atq. turpitudinem Catholici homines gentis Regniq. eius deplorauere grauissimis scriptis, quae, punitis licet authoribus ingenijsq. vexatis, Prouincias omnes hodie peruagantur.

uagantur? Ac demum indulgendo, & remittendo omnia haereticis Gallus ita composuit rem, statumq. Regni ita ordinauit, vt ab ea parte solutus ac liber conflare vndiq. bellum posset, quod ad confirmandas, augendasque sectas parabat. Referebat cuncta in speciem illuc, tamquam pro Comite Palatino, & Valle telina armaretur ipse, armaretq. alios: atque tam detestabilium operum, quae vltro, ac sine vlla necessitate susceperat, titulus erat iste, restitutio Comitis Vallisq. libertas. Eius tituli vanitas, & quaesita species facilè arguebatur. Nam spoliatio, & poena illa Palatini, fermè fuerat ipsius opus, perque suos in Germania legatos, Betu[illegible]m, atque Praeaussium omni ope contenderat, vt sic ille puniretur. Fuerant enim huius Palatini maiores capitalissimi Catholicorum Galliae Regum hostes. Et videbat communi fama damnatum Caesaris rebellem, temerarium, violentum vsurpatorem Regnorum, atque Preoum tantae Maiestatis. Nihilo iustior fuerat causa titulusque Vallistellinae, quam capi, & teneri Catholicis armis ipse cupiuerat, idq., vt ita fieret enixè postularat ob seditiones atq. tumultus qui illic Catholicos inter & haereticos moti fuerant; interimq. Regius legatus Guefier pessimè

me acceptus & contumeliose tractatus fuerat haud paruo Gallici nominis dedecore. Motaq. haec ira Regi ex eo fuerat, quia voluerant Veneti absq. vllo Galliae Regis consensu foedus renouare cum gente Rhetorum: aiebantque Galli, foederis eius arbitrium omne poenes Henricum IIII. fuisse quemadmodum anni 1603. acta declararent. Scilicet, jam tum Regni eius homines, & ministri coeperant vsurpare morem institutumque hoc, quod postea magis magisq. confirmauere, vt apud minores minusq. validos semel admissi pro amicis imperium ibi exerceant & in aliena dominari velint.

Fregit atq. disiecit cogitationes, & medicamenta Gallorum Prouidentia Numinis, quae Catholicum Regem Maiestatemque Caesaris atque coniuncta haec arma toto terrarum Orbe latè victricia dedit: easq. Victorias in omnem memoriam anni 1625. & 1626. monumenta propagabunt. Non ab obsidione Bredensi abstrahere nostros exercitus concita in id tot dominationum arma potuerunt: deditioq. facta est. In Persico mari classem Holandi amisere. Sancti Saluatoris, & Sanctorum omnium nuncupata per Brasiliam loca recepere nostri. Irrita à Gadibus Palatini vexilla recesserunt.

ferunt. Fractae ac dissipatae foederatorū vires apud Rhaetos: Genuensi Reipublicae subuentum totaq; Liguriae ora defensa. Rex Danimarchiae Lutrensi pugna fusus fugatusque: spuriumque Mansfeltum eadem arma coniecere in fugam: impositaque Bethleem Gabori necessitas, per quam extra Moesiae fines efferre pedem ille non auderet. Haec omnia sic patrata diginitus perpulere Gallum, vt controuersiam eam, quae de Valletelina esset, decidi componiq. optaret: Compositaq. & decisa est hodieq; conuentioni ei ex loco titulus manet. Ad v. Nonas Martij anno 1626. de ea re transfegere quibus mandatum erat: & loco in quem conuenerant, Montonum est nomen. Admirationi fuit vniuersis, quòd magni secreti more, semota etiam ab foederatis suis, negotiatione Gallus compositionis eiusmodi cupidus adeò fuisset, tempore, quo Regnum illud florentissimum & rem Hispanam contra maximè afflictam esse praedicabant, eaque iactatio Gentis erat. Et quamquam petenti concordiae formam illam valdeq. efflagitanti Gallo negare Catholicus Rex potuerat, quippe cùm proprium id ac singulare Galliae negotium non autem commune omnium esset: annuit tamen atq. concessit;

nulla

nulla sua inductus vtilitate, sed tantummodo, vt perturbandarum rerum initium & causa illa tolleretur, vtque retineret institutum suum conseruandae Catholicae Religionis, cui se subiectosq. suos & opes imperij imperiumque ipsum vnice dicatum habet. Satisq. habebat haec Catholica Maiestas consuluisse securitati ac libertati populorum illorum aduersus Haereticorum iniurias, repressso, & castigato impotenti dominatu, quo se se supra Catholicam religionem libertatemq. Vallis Rhaeti efferre volebant. Haec tanta Numinis inclinatio in Caesarem simul Regemq. Catholicum, totamq. Domum Austriacam haud dubiae potuerat flectere & lenire Galliae Regem ad id saltem vt modestiam agnosceret; quae, nec antè felices eos euentus, nec postquam talia euenere, sumpsisset sibi quidquam, quò animus ille offendi atq. irritari posset. Attamen, de pristino erga Holandos fauore, ac de consuetudine mittendi rebellibus auxilia, nihil remissum est: quae res tanto sinisteriore erat fama, tantoque maiore bonorum omnium indignatione accipiebatur, quantò plura quotidie documenta Catholicae magnanimitatis, & amoris erga Regem eundem eminebant. Obsidebat Rupellam hoc tempore Gallus: eaq. obsidio cùm

impe-

impeditior, ac sine exitu esset. misit Catholicus sub Federico Toletano classem ad Morbianum vt Insulae subueniret; eratque classis ea aedificata, & parata sumptu ingenti, & nauigia pleraque ob incommodum anni tempus periere. Per Hispanam eam classem stetit quominus exponere possent auxilia sua Angli, & instructam suam militie classem habere cogerentur aduersus Catholicas naues, vnde periculum ipsis imminebat. Neq. ambigitur quin ea necessitas idque momentum dederit Gallo victoriam de rebellibus illis eosq. debellarit. Et agunt ministri Regis illiberaliter atque ingratè nimium, dum adeò generosam Catholici Regis actionem peruersa interpretatione cauillantur. Quippe, nec tantum fuisse nauium numerum, quantum ipsi postularant, & eas quae fuerint, consulto triuisse tempus, ne maturè subuenirent. Non illi reputare volunt incerta maris, vimq. tempestatum, quae coniungi prohibuere naues & excusserunt ex reliqua classe demerseruntq. nonnullas, cùm caetera simul interim elementa infestissimè oppugnarent. Et eae tamen, quae stabant ad Caronium praestò fuêre sicuti dictum erat. Sanè instabant vrgebantq. Galli vt maior numerus mitteretur. Consiliumq. Hispano erat, & ex-

cire aliam ab Dunquerque classem, & mittere nonnullas insuper ex earum numero quibus Antonius Oquendus praesidebat. Sed cùm destinata haec, impetus & violentia tempestatum prohiberet, institit Galliae Regis legatus postulare atq. agere, vt ab Caronio tantummodo classis mitteretur quae ipsa rem tantam praestitit, vt ne Insula illa in Anglorum potestatem venire posset. Quòd si inquietandae ac turbandae Galliae cupidus fuisset Rex Catholicus, aptissimum in id telum habuerat, taliqué negocio facilissimè potuerat auertere & occupare Regni illius vires. Sed quidquid demum de tanti beneficij magnitudine detrahere conentur isti cuncta ingratè aestimantes, eo certae beneficio, & eius opportunitate subsidij refellitur atq. confutatur id, quod ministri ijdem Catholicae Maiestati vitio vertunt, Rothomagi Ducem fratremque eius Subizam Hispana ope stetisse mussitantes, clamantes vè palam. Atqui, nutrita semperque sustentata per Gallos Holandica rebellio poterat eleuare ac tueri factum, etiam si malè contentos illos, atque in Holandorum comparatione non ita rebelles, audisset Catholicus, cùm repetitis precibus diù multumque fatigarent. Sed immane monstrum ambitio impotens sui

est.

est. Nam postea quam ministri illi vident, neque Comitis Palatini, neque Daniae Regis, neque Italico, neque Belgico tumultu quicquam esse profectum, & mota per eos in omnes partes arma ad irritum cecidisse: statuerunt ab vltimo Septentrionis axe, excire Gustauum Adulphum adulterinum atque subditi-tium, & intrusum Sueciae Regem, Anno 1626. ad Germaniae totius, ad sacri Romani Imperij Austriacaeque Domus internecionem inuitauere Regem hunc, moliti scilicet atrox id facinus, vt nequid Catholicae Religionis ad Septentrionem reliquum fieret, parique clade Europa vniuersa vastaretur. Nec deinde incendium id, sicut euenire solet, poterant restringere homines, per quos conflatum excitatumq. erat. Caeterùm clementia Numinis, & erga suam Ecclesiam immensa benignitas adeò praesens, & propitia fuit, vt Catholici Regis armis opibusque, & flagrantissima pietate restingueretur flamma, quae Prouincias illas incredibili rabie, ac furore depopulabatur.

Suecus autem ipse, quod magis inquilinus insusceptum ab Religionis exscindendae opus posset, non tantum Ministri ijdem, atq. efficere conati sunt, vt legitimus Sueciae & Poloniae

Rex

Rex Sigismundus sex annorum inducias cum eo pacisceretur. Nulla eius rei excusatione, nisi quam perfidia, & ambitio praebere posset. Atq. ab causis ijsdem, pari diligentia, & conatu experti omnia fuêre si Bauariae Ducem Catholicosq. foederatos eo adducere possent vt ne Sueco aduersarentur vtq. se se in eo negotio neutros, & nullo partium odio vel fauore imbutos praestarent. Ita crediderant nudum indefessumq. Caesarem posse deprehendi quandocunq. periculi tempus venisset. Sic & Fridlandriae Ducem exarmari cupiuerunt. Tentabanturq. ista per ministros, & fiebant tempore eodem, cùm anno 1630. mense Octobri ad Ratisbonam consilia pacis Caesarem inter, & Regem illum agitarentur, quam ea conditione petebat Rex, vt promitteret, nulla in re se aduersarium fore Caesari, adiutoremue illis, qui hostes aduersarijque essent. Et fraus illa suberat, vt Caesar, & Rex Catholicus illecti deceptiq. de restitutione Mantuae, de transitu per Rhetos, de Casalensi arce annuerent atque assentirentur, sicuti quidē annuerunt & detecta deinde perfidia Gallorum aduerso rumore fuit offenditque magnopere animos. Intereaque & Rex, & Caesar de studio suo & cura publicae pacis remittendo quicquam cuncta si-

cuti

suti conuenerat, rata esse voluerunt. Confirmauere Mantuanum: dedere diplomata: res suas vnicuiq. reddiderunt: Ducibusq. Sabaudo, & Guastalensi vti satisfieret cordi illis fuit. Adiecerat autem ei Mantuano negotio animum, & arma Rex Catholicus, vt Caesaris auctoritatem fide officioque suo propugnaret, vtque defenderet eorum etiam iura, quos violentia aliena exturbabat, atque opprimebat: resque controuersa, & non iudicij tantùm, sed etiam arbitrij voluntatisque Caesaris, horum importunitate trahebatur. Moueratq. Regem insuper indignitas illa, quòd externi dominatus violentiam hanc magno Imperatoriae Maiestatis detrimento fouebant armis opibusq. suis: eiusque tuendae Maiestatis munus, & officium ipse sustinebat: Sacri nempe imperij Princeps aduersus Gallum expertem praerogatiuae tituli huius, alienigenam, & semper fere inimicum. Sensibusq. iltis, & alienatione natiua, neque Ratisbonae pacta, neque rursus ea, quae anno 1631. super Italiae rebus conuenerant, seruata postea fuerunt: & si quid earum conditionum antea seruatum erat: non fides ea, sed manifesta fallacia fuit, vt arces, & Vrbes, & loca, quae erant in Caesaris potestatę Gallus arbitratu suo occuparet haberetque.

rerque. Statim ab initis scriptisque conditionibus, corripuerat inuaseratq. Gallus Rhetiae fauces, tunc, cùm Caesaris simul; & Catholici Regis arma sub conditionum earum fide extra fines Italiae haberentur. Perpulit praeterea viq. subegit Sabaudiae Ducem, vt Pinnarolum sibi traderet ad Maiestatem Caesaris sine controuersia Imperij iure pertinentem locum: de qua quidem iniuria; & vi sibi illata Sabaudus ipse ad Regem Caesaremque perscripsit. Occupauit simul habuitq. sibi Casalem & subiecta loca iure eodem obnoxia Caesari, & conditionum oblitus immemorque omnium, se se dominum locis terrisque illis apposuit. Iniurijs, & malignitati huic speciem titulosq. varios imponere conatus est, neq. tamen in hominum animis ambiguum relinquere potuit, quin tentamenta huiusmodi cuncta iam inde à principio belli eò pertinuerint, vt illato praeter omne ius in Italiam pede inuaderet arces, & loca, quae, non virtute, neque armis, sed dolis, & fraude pessimis artibus inuasit, ac tenet in hunc diem. Flagitiossimum ad ista instrumentum sumpsere Ducis Caroli incautam tunc opportunamq. fraudibus hisce simplicitatem: eiq. persuaserunt, vt iura successionis hereditatisq. suae persequi atq. adipisci vellet

armis, quae legum ipsarum nutu, & auctoritate patebant. Et serò perspecta fraude Gonzaga conqueritur nunc, & irreparabilia sua damna deplorat. Porrò Galli isti fallacijs artibusque ijsdem aggressi Principes Italiae ceteros maioribus quàm anteà suspicionibus, & multiplici iniecto metu solicitare instituerunt, contra quàm capite decimo Ratisbonae conditionum promiserant partes fidemque suam obligarant. Eaque sic rupta, & violata fide violauere simul Caesaris summique Pontificis auctoritatem, quae pacis vinculum sanctumq; pignus adhibita erat. Simul iacta per totam Italiam perpetuae discordiae semente turbauere statum rerum, & suspicandi semper inuicemque cauendi, ac timendi dedere animis occasiones. At ex diuerso, quanta generositas Caesari simul, & Regi Catholico. Arces, Vrbes, & loca tanti momenti, quae suis armis recepta, & iuste possessa habebant, vltro restituerunt: Mantuam nempe, & Casalem, arcemque eius, & itinera transitusque Rheticos: aliaq. fecere eiusmodi, prout magnitudo, & ingenuitas liberalitasq. tantae Domus tot seculorum exemplis declarata postulabat. Nam sicuti, non auaritia, non ambitio vlla, sed Catholicae religionis, & pacis publicae studium,

dium,

dium, & Catholicis verè animis insita mansuetudo, haec ipsorum arma gubernarat: ita multo sanguine, & sudore parta spolia restituerunt statim vbi suis victorijs suos hostes ad pacem, & aequitatem adductos ex crediderunt. Deniq. promptis ad deteriora credenda nonnullorum animis fidem fecere excelsi & recti sui animi posteaquam traducto per alpes in Italiam Germanico exercitu, cuius fama terrori principibus fuerat, amplius duodecim millia armatorum ex ijs copijs in Flandriam missa sunt, vt terror ille tolleretur. Et regalibus hisce factis confutantur calumniae omnes, quas Galli dissipauerunt, vt ista obscurarent.

Cumque tam peruersè, ac malignè Gallica peruersitas, & malitia Ratisbonensi illo conuentu abusa fuerit ad res Italiae turbandas: non minus fraudum sumpsere indidem aduersus Germaniae statum, & salutem. Nam vix peractus dimissusque conuentus ille erat, vix initae conditiones, & celebrata pacta erant: cùm illico ferre sermonibus, ac dissipare coeperunt mandata Regis excessisse eos, qui ad paciscenda, & peragenda ista missi erant: Fratrem nempe Iosephum Capucinum, & collegam huius sociumq. Lugdunensem. Namq.
temerè

temerè praeter consilium voluntatemq. Regis istos assensisse paci, quod ad Germaniae negotia attineret. Quasi verò debuerit Caesar annuere paci super Italiae rebus, nisi pax eadem in Germaniam quoq. extenderetur. Quid validius atque efficacius ad Gallicae perfidiae manifestationem afferri potest inani hoc & vano responso falsoq. obtentu? Nam si artificio hoc ad pacta eludenda vti decreuerat Rex, debuerat ad Caesarem mittere talis culpae reos more rituq. antiquorum, vt in eos ex animi sui sententia animaduerteret: vel certè debuerat animaduertere ipse perfidiamque punire si perfide egissent. Sed nihil minus. Neq. puniti illi sunt, neq. ab Regis siue Regiorum gratia, & familiaritate remoti. Quid multa? ne ipsi quidem mandata Regis egressi fuerunt. Nam & satis potestatis ad paciscendum attulerant satisq. de ea potestate quaesitum cognitumuè erat, & ratione reque ipsa satis id comprobatur. Nam si secus fieret: omnia, quae pax illa amplectebatur redigerentur planè in eum statum quò statu fuerant ante pacem. Neq. enim vlla iustitiae lex, vlla aequitatis admiserit hoc, vt pax eadem rata sit ad cōmoda vtilitatesq. Gallorum irrita verò ad Caesaris, & imperij statum. Neq. consentaneum est, accipi

pacem

pacem tantummodo quatenus, vtilis ea Gallo sit, cum ipsamet quaesita, & expetita vtilitas, confessi, quae iam sit detrimenti ac damni, quod fugit atq. recusat. Galliae Rex instinctu ministrorum hominumq. suorum absque vlla generis humani verecundia, & absque vllo etiam respectu, tùm Ratisbonensis conuentus, tùm rerum conditionumque aliarum, quae ipsi cum Rege Catholico intercedebant, anno 1631. mense Ianuario ad Verualdum in noua Marca Brandemburgi per legatum suum Sciarnascum apertè foedus inijt cum Gustauo Sueuo nihil dissimulans quin foedus idem anno superiore ictum inter eos fuisset, qui fuerat item annus initae cum Caesare pacis. Eiusque summa foederis fuit: prompta Sueuo fore subsidia Galliae regni ad sacri Romani imperij Austriacaeque Domus & Catholicae religionis pernipiem; quam non promittebat solùm Gallus, sed iam re ipsa moliebatur. Sumpserat obtentui Palatini restitutionem, atq. aliorum, quos patrijs fortunis, & possessione quemque sua iniustè euolutos esse aiebat. Et vanum id quidem. Nam quod ad Palatinum attinet: satis constat, ipsum Galliae Regem, de ea re aliter censuisse aliàs iudiciumq. ab hoc titulo planè diuersum fecisse.

se. Caeteri verò, quorum iniurias atque eiectionem Gallicis armis vindicari, famae dabat Rex, nulla cuiusquam iniuria spoliati eiectiue fuerant. Sed exturbauerant, Pomeranium quidem, & Michelburgium, & Lantgrauium, & Durlaquium delicta ipsorum, & fraudes, & laesa per cos consternationibus insanis Caesaris Maiestas: sine ex litium causarumq; disceptatione, rectè legitimeque Iudices de illis ita statuerunt. In quo quidem negotio Caesar omnia quae clementer, & benignè simul, & iustè fieri poterant, fecit, atq. expertus est antequam sententia ferretur. Nec in Palatini causae cognitione pars vlla benignitatis, & clementiae tantae praetermissa erat. Cuius hodie clementiae fructum sentiunt grateq; profitetur Principes caeteri Viriq. nobiles, quibus mens sana fuit, vt hac magnanimitate Ferdinandi sese dignos praeberent, eiusque fruendae tempus opportunum esse non paterentur. Eaque nisi tanta esset in omnibus rebus moderatio Caesaris, & mansuetudo: operae pretium fuerat quaerere ac videre, quam actionis iurisuè partem Gallus Suecusuè habebent, vt possent, aut deberent immiscere sese rebus, quarum summa nihil ipsos attingit, totaque Imperatorio iure, ac potestate continetur.

tinetur.

tinctur. Nam ipsi non modò praerogatiua ad huiusmodi res omni carebant; Sed ne Principes quidem Imperij erant; neque causam poterant afferre vllam, cur arma sic illa mouere debuissent. Expostulationes omnes, & querimoniae Gallorum Regis vanae illae quidem, & iniustae fuerant: caeterùm, & Ratisbonensi pace conticuisse debuerant, erantq; sublatae per inuiolabilem eam consensu Generis humani legem, quae, obliuione praeteritorum indicta, praesenti rerum, & animorum fide concordiam firmat. Item, ea quae iactabat praedicabatq. Sueuus, & sibi ab Imperatore repetebat, Electores Imperij praesentes, absentiumq. legati, in eodem Ratisbonensi conuentu, anno 1630. inania irrita esse pronunciauerunt. Atque in eam sententiam Principes isti scripsere Gustauo. Litterae datae sunt anno eodem idibus sextil. Summa earum fuit: Expectaret perscripta, & obsignata omnia ab Dantisco: Indictum eò conuentum fuisse in mensem Maium anni eiusdem, vt finis controuersijs imponeretur, quae ipsi cum Caesare esse possent. Sed antequam illa scriberentur, iam Gallorum impulsu Sueuus mense Martio irruperat in Imperij fines, & gerere coeperat rem. Cuius irruptionis belliq. moti,

teme-

temeritas, & licentia, vel hoc ipso satis conuincitur, quod, iniustum iniuriosumq; est inferre arma ei, qui conditiones pacis offerat, atque ad persoluenda iura paratus sit. Quodq. Rex ille tyrannus, & iniustus tyrannice etiam iniusteq. ageret, victrice Numinis dextera declaratum est. Namq. Germaniae Imperijq; turbator hic Lutzensi praelio cecidit die ipso, quo Sancti Leopoldi tutelaris, & Patroni sui nomē, atq. memoriam & anniuersaria gratulatione cōcelebrat Austriaca Domus, Mox anno 1631. Martio exeunte, ineunte autē Aprili, Principes Protestantum Galli instigabant, vt tam nefarij belli partem capesserent, & eius rei consultan dae, atq. agendae causa Lipsiam conuenerunt, & adeò sacrilegi cōuentus infamiam probrumq. tulere Listensis, & Ioseph ille Capucinus, qui Sacerdotalem notam, & Ordinis sui nomen tam impura negotiatione foedabat. Ita congregati Protestantes haec inter se conscivere: bellum viribus animisq. coniunctis esse gesturos aduersus Caesarem cui subiecti essent: aduersus Austriacam Domum religionemque Catholicam: demum aduersus Principes omnes, qui colerent hanc, atq; profiterentur. Fuit haec detestanda actio Gallorum, quae Ecclesiam, & sacra omnia, & Sedem Apostoli-

eam flagitiosissime, & contumeliosissime proculcaret. Abominãdumq. scelus id: excire, concire, simulare Luterani erroris proceres antistitesq. Caluinistarum atq. adducere in eã sedẽ idq. conuenticulum, siue conciliabulum, vnde procul abfuerat, quisquis non haereticus erat: hos iuuare consilio: his arma induere, addereq. animos contra Catholicam Romanamq. Fidem. Oppugnatur namq. ista, dum alumni defensoresq. eius. Ac licet foedera haec Sueuum Lipsiacumque & Olandicum dicat Rex Gallus esse firmandae religioni: deceptus tamen ille mendacijs & nequitia suorum, non videt religionis parari struique ruinam dum in potestatem arbitriumque Haereticorum lacerãda conijcitur ipsa opesq. eius quiue colunt & qui tuentur eam. Prauitatis haereticae mendacia serit, quà pestis nondum illa penetrarat: Catholicam ab radice veritatem excindit, qualia per Germaniam Flandriamque spectata exempla sunt, scriptasq., & acceptas de religione conditiones proterue, impieque ludificatur: demumque fit illud, quod etiam ipse fert palam, & nihil dissimulata confessione agnoscit: nempe, vt in speciem tantummodo, & pompam eiusmodi conditionibus ab sua parte assensum esse constet. Sed ad extremum

sublata

ſublata etiam ſpecie pompaque omni, ſola remanet impietas ſolumq. ſcelus, quo tentantur iſta & fiunt. Nec diluitur crimen eleuaturq. culpa querelis calumnijſque Proteſtantum, quas ad ſuae cauſae defenſionem vulgauere, tanquam aſſumpto Religionis nomine vexarentur propter odia cauſaſque priuatas. Haec enim ipſorum ſcripta mendaceſq. libellos denuntiationibus & edictis confutauit eodem anno ſumma grauitate Caeſar, & ad caput vnumquodq. ſimpliciſſime ac veriſſime reſpondit. Verùm artes, & commenta Galliae miniſtrorum impudentius adhuc fecere nonnihil. Anno eodem 1631. menſe Aprili ſubornauere, atq. ſubmiſere quendã è ſuis cognomento Guernaium, qui apud Mogontiae Electorem praeciſè negaret foedus vllum ictum eſſe Regi ſuo cum Suetiae Rege: id ita negare ille inficiarique eſt auſus cum palam eſſet ſcirentque omnes foederis eius tabulas ſcriptas obſignataſq. fuiſſe proximo priore Ianuario, & à Marchione Brandemburgi, communicatis cum Suetiae Rege conſilijs, per totam Germaniam fuiſſe promulgatas. Et Maio inſequente tunc cum ex Verualdenſibus pactis armatorum & pecuniae ſubſidia mitterent ad Suecum, vt Electoris nomen, priſtinaque poſſeſſio Palatino reſ-

non- tituerêtur

tituereтur, persuasere Regi suo ministri isti, vt foedus aliud cum Bauariae Duce feriret quo in foedere pollicebatur Bauaro Gallus sese effecturum, vt exuuiae illae Palatini Comitis, superior nempè Palatinatus & dignitas Electoris penes eum posterosque suos recideret, firmaque & stabilis in ea Domo permaneret. Auxilio sese futurum aduersus omnes qui contrastare & pugnare vellent. Atq. in praesentia nouem millia peditnm, duo millia equitum offerebat. Irrisio publicae fidei quidem ista est: iusiurandique contemptus & datae fidei ludibrium, quo virtus honos dignitasque omnis, & Principes ipsi subijciuntur pedibus atq. eliduntur. Et quid tandem? transactis ita cum Bauaro rebus, reliquere barbaro Ducem hunc, & pacta conuenta illa, ceu somnium obliuioni tradiderunt, haud quicquam amplius de foedere ipso cogitantes quàm si ne cogitassent quidem vnquam.

Quae portò ab foederibus euenere istis funesta nomini Christiano, & quacunque Catholica fides patet deplorata adhuc semperq. deploranda, nihil memorare attinet. Vidit nostra aetas impios haereticorum exercitus Gallica subnixos ope per tot Catholica Regna grassantes, vastitatemque Prouincijs inferentes,

non solùm quae subiectae Imperio, sed etiam quae Caesaris ipsius haereditariae & auitae, & communi iure propriae ipsius essent. Vidimus fieri haec, sublata iustitia politica etiam & ciuili, quam ne barbari quidem vnquam ita penitus abdicauere. Personabant omnia lamentis, vlulatibus, & quiritatione populorum: ipsique Protestantes, quos ore polluto Euangelicos appellant, per instigatores suos ad extrema redacti, serò tandem agnoscebant quibus sese credidissent. Execrabantur iustisq. maledictis incessebant eos, a quibus in statum vtrique parti adeò miserabilem adducti essent. Et horum denique lacrymis ac querelis Sueui ipsi sociauere suas, sociauere conuitia & maledicta in Galliae ministros eosdem, quorum sese consilijs esse pessumdatos vident, sicuti fiet semper omnibus, quos fraudibus assueti illi credulos & sibi opportunos nacti erunt. Deplorat Sueuorum Gens excidium suum & cladem, haud ferè nationi illi consolabilem, quòd tyranuo licet, strenuo tamen & fortissimo Rege amisso, parta iam & in posterum sperata omnia sic ipsis belli fortuna mutauit. Sed satisnè habuere Galli Catholicas partes afflixisse per Germaniam vniuersam? induxisse Suecum in terras Prouinciasque illas? portam

aperuisse

aperuisse sacrilegijs portentis iniurijsq. omnibus, quas furia illa Catholicae Religionis inferre potuit? Non eo contenti esse potuerunt. Paulò postea induxere Regem, vt Gustaui saeuitiae pars ipse fieret, fructumque inde habere vellet. Ità grandi pecuniae summa emit Rex loca arcesq. quas Sueui bello iniusto captas iniustè etiam & iniquè possidebant, cùm ad Austriacam Domum Imperiumue, & Imperij Principes iusto & certissimo iure pertinerent. Induxere vt inuaderet armis caperetque Moienuicum in Sacri Romani Imperij ditione, Ratisbonensiaque pacta etiam in eo violaret, in quibus disertè cauetur, ne quid noui circa eius loci possessionem fiat siue tentetur. Induxere, vt Lucemburgi terras, & Burgundiae Comitatum armatorum manu ingressus hostilia in Regem Catholicum etiam ibi faceret. Neque finis iniuriarum caeterarum, quae ab stimulis & auctoribus ijsdem profectae fuerunt. Pleraq. per Sueuiam, & per Alsaciam loca & veterem Lantgrauiatum antiquum Austriacae Domus occuparet: illa quidem artibus, & dolis: hunc per Rothomagi Ducē, qui religione Caluinianus exercitum eò induxit. Artibusq. item & dolis loca alia intercepta tùm Imperij, tùm Episcopi Argentoratensis, qui benefi-

ciario

ciario iure obnoxius atque subiectus Imperio est. Addiditq. ad fraudes, etiam auri pondus, vt Spirensis Episcopatus fines regionemq. totam & Vrbem Archiepiscopumq. Treuerensem sibi haberet: & legitime fieri hoc dictitabant propterea quod scilicet Archiepiscopus ille Elector in fidem tutelamq. Galliae Regis concessisset. Et leuissimum ac futile id quidem: contra verò manifestum certissimumq. illud, quòd praesidium Treueri Catholicum esset quodq. Rex Catholicus gereret Vrbis eius tutelam non solum Lucemburgensis Ducis officio suo, & iure: sed etiam quia Electores ipsi Moguntinus, & Bauarus ita pronunciauere, cum eius rei cognoscendae, ac definiendae potestas eis facta fuisset, vt Treuerensis Electoris conatibus atq. tergiuersationi obuiam iretur, qui subducere sese Catholico volebat. Aliaq. item Catholica praesidia, & Hermesteinense praesertim, ita cum Treuerensi Collegio iurati transegerant, vt absq. eorũ consensu deditio fieri non posset. Et omnino, neque Archiepiscopus ille permittere sese Gallo, neq. Gallus recipere Archiepiscopum poterat cum absq. consensu & voluntate Caesaris non posset Elector foedus inire vllum. Sed & in Palatinatum inferiorem tulit infesta signa Gallus, cùm haud

vnquam

vnquam ambiguo iure possessio ea Regis Catholici esset. Ac solutis veluti frenis animi Gallorum, oblitique foederum omnium, quae vspiam inita, & iurata haberent aduersus Caesaris copias, quas Comes Hemburgi ductabat struxere aciem: struxere aduersus eas, quas sub Comite Embdemi prius, deinde sub Consaluo Cordubense miserat Catholicus in Germaniam: & huic quoque tam hostili facto imposita per eos species & imago aequitatis, cum ita dicerent: partem vtramque Hispanam, & Gallicam adesse foederato suo, quo nihil absurdius fingi dicique potuit. Nam fecerat Gallus cum Caesare pacem, eaq. manente pace, foedera aduersus ipsum nulla poterat inire, neq. cum Sueuo, neq. cum alijs vllis. Pacis item vinculo tenebatur adstrictus, ne fouere siue adiuare posset vllos, qui Catholici Regis Prouincias praesidiaque & exercitus infestarent. Quanto minus infestare ipse, & inuadere debuit? Nam etiamsi concederetur, Catholici Regis copias & arma illa iuisse tantummodo pro foederato ipsius: etiam si non starent copiae illae, neq. essent defensionis causa Prouinciarum atque terrarum Austriacae Domus aduersus manifestos eius hostes, in quos vere missae erant: non tamen

ius

ius Gallo fuerat oppugnandi Hispanum. Idq. ita conuincitur notissima illa bellici iuris lege, quae vetat arma inferri Principi, cum quo facta pax sit, licet ille, per quem arma inferantur, foederatum suum ita defendat. Id & & Iulierensi, & Cleuensi bello obseruatum, factumque est, cum induciae manerent inter Catholicum Regem, & Olandos, quorum saltem exemplum ministri Galliae Regis sequi debuissent. Nam tunc pars vtraque foederatum suum adiuuit & ab Rege Catholico Neuburgi Dux, ab Olandis Marchio Brandemburgi defensi fuerunt, ita ut pars altera nullo modo tentaretur licet exercitus in conspectu saepe fuissent, ac saepe conuenissent in vnum. Quod si factum aliter esset tolli violarique inducias apparebat. Accedit eò, quòd Veruinensi pace, Imperium, & Caesar, Principesque Catholici recepti erant in Hispani Regis fidem; promiseratq. Gallus inter pacis eius conditiones, facturum sese hoc vt arma inde abstineret: atque huius etiam promissi religione non potuit ea publica salua fide inuadere eos, siue inuadentibus ferre opem. Quae publica fides & religio promissorum debuerat etiam protegere Lotaringiae Ducem ne adeo crudeliter & iniuste ille opprimeretur, cum Veruinensi

m 1 3 pariter

pariter, & Ratisbonensi pace in tutelam eandem Catholici Regis ille venisset ac de ea re nominatim cautum perscriptumque esset. Et violationis huius saeuitiaeq. tantae fuit vnica illa causa quòd Dux Carolus, & Franciscus eius frater noluerunt implicari foedere quo Suecus & Heretici Protestantes ceteriq. coniurati, imperium, & Imperatorem, & Religionem Catholicam, Austriacamq. Domum, cuncta delenda & euertenda suscepissent. In id quia consentire, & coniurare recusarant: ideo edidere Galli tam atrocia exempla in hanc Domum atq. attonitis omnium animis nulla alia, praeterquam violentiae suae lege fortunis omnibus euertêre Principem adeo Catholicũ Domumq. tot Principũ, & Regũ matrẽ ac ne feminis quidem crudelitas tanta pepercit, quo minus vnà eijcerentur. In Vici, & Liberduni pacta traxere Ducem Carolum nouo & impio exemplo molientes rem quoque inauditam, vt tria matrimonia sanctis Ecclesiae ritibus rite inita dissoluerent: aliaque increbilia, & Tyrannis inexcogitata fecere contra Domum hanc, prout Principes ipsi spoliati & eiecti, publico scriptos cuncta exposuerunt. Neq. commouit deterruitq. ab tanta impietate Gallos ea res, quòd Regni eius Populi in-

terim

terim ad extremum inopiae desperationisque redigebantur vt ista fierent. Eaque fames & desperatio Galliae populorum à Petro Scarono Episcopo Granopolitano in Oratione quam ad Regem habuit, deplorata est hisce verbis. Depascuntur subiecti vestri per colles & nemora herbas brutorum animalium ritu, foenumque manducant. Sed praesens illa rebus humanis diuina Iustitia semper, & illud cuncta mortalium summa aequitate moderans Numen, conatus & consilia Gallorum haec fregit atq. disiecit, data penes Caesarem, & penes Catholicum Regem memorabili Victoria, qua Dux Bernardus Veimarensis fusus fugatusque est, Horneusq. captus: & duo Catholici exercitus, anno 1633. & anno 1634. Germaniam ingressi, felicem hunc, & Christianae Reipub. salutarem exitum habuere. Victoriae dein aliae sequutae sunt, capto per Lotharingiae Ducem Philipsburgo, Rhingrauio & Othone Ludouico caesis, capta per Hispanum exercitum Treuirorum Vrbe, Electoreq. fugato Catholici foederis auspicijs, virtute Mansfelti, cui Caesar & Rex ea arma credidere. Quibus sanè victorijs atque successibus Catholicae Religionis hostes, hostesq. Caesaris ijdem & Catholici Regis, Imperijq. sacri, tunc

cùm

cùm res eorum maxime inualuissent, florentissimaeq. haberentur, ita deiecti afflictiq. erant, vt nisi Gallus auxilia fauoremq. suum eo maxime tempore intendisset, sperari potuerit actum esse de Haereticis, pestemq. hanc è Prouincijs illis tolli in perpetuum excindiq. apparebat. Et postquam labentes ita sectas egregij Ministri confirmarant, Christianissimi sui Regis nomine dignam actionem esse crediderunt, si Fortianus Hugonota Gallico exercitu Rhenum transgressus confirmaret noua ope Protestantes Hidelbergamque defenderet aduersus Bauarum adeo iustis titulis eius loci possessorem. Datam huic ab suo Rege fidem, quam sancte ille in id obligarat, vt contra omnes eius Imperij inuasores praesidio esset, in eò contemptu rursus habuere, quo fere habetur, cùm infirmis & nullius loci numeriue hominibus data obligataq. est, neq. mouere siue inhibere potuit illos honor, qui Principi huic nominiq. eius, & Domui religioniq. deberetur. Hinc processere in tantum impietatis, vt cum Electore Saxoniae ita agerent atq. ita paciscerentur. Si perseuerare in eo vellet, vt ne pacem cum Caesare faceret: sese Domum Austriacam eò adducturos, vt non solum intra imperij fines, & quacumque patescunt

haere-

haereditariae Prouinciae domus eius, conscientiae libertatem & arbitrium vnicuique de religione solutum Austriaci relinquerent. Sacrilega res atq. inter Catholicos horribile dictu: Romanis sacris initiatum Regem, supra Christianos ceteros, gloria, & amplitudine ac pietate nominis elatum trahi coeco velut impetu effrenem illuc, vt auxilij sui lucem offerat haereticis eamq. haeretici sequantur & spectent. Atque inter illecebras, & inuitamenta cetera promisere Saxoni eidem; sese effecturos, vt Bohemiae regnum ad ius arbitriumque suffragij deduceretur: ea re perfecta, nihil impedimenti nihilue morae futurum esse, quo minus ipsum in eo fastigio collocarent; obliti interim, omnino alienum fore id ab Regis ipsius sententia, quam in Palatini Federici causa is tulisset: obliti etiam, Saxonem ipsum in causa negotioq. eodem, contraria pollicitationi huic edicta Caesaris antea accepisse & fuisse executum. Quibus rebus impijs adeo atq. alienis, & cum recta ratione pugnantibus adidere saeuitiam in Regium quoq. sanguinem: obsidemq. in ista obtulere sanguinis eius Principem: detestabili sane promisso, ceterùm nihil abhorrente ab opinione, & fama, quae de ministris illis vulgata est: cupere ipsos, vt suc-

cessioni,

cessioni, & stirpi Regiae Domus illic finis fiat.

Atque per Germaniam quidem talia moliti sunt taliaque tentauerunt. In Flandria, Prouincias quae non mutauere fidem, vocauere ad seditiones: inquieta ingenia stimulauere: ad Vendlij, & Bolduchi expeditionem auxere auxilia, quae mitterent in Olandos, atq. renouauere foedera cum illis, interea dum classe viribusque suis Hispanus contra rebelles, & hostes Galliae Regis pugnaret. Henricum quoque Bergensem, vt sibi ad ista socium adiutoremq. haberent, alienauere ab Catholico Rege cuius eximia liberalitas in rebellem atq. proditorem hunc fuerat: perfidiaq. proditoris huius Gallicae perfidiae veneno procreata, & nata, & adulta ad extremum Flandriae calamitates initiaque & originem earum dedit. Atq. vt distinerent, & auerterent ab Germania subsidia Catholicorum exercituum, ipsos ad Mastricum obsidendam impulere Olandos obstricta Rebellibus illis, & firmata publice fide, ne pacate vnquam & tranquille cum Rege Catholico viuerent, vtque Protestantes, & Suecos pari secum aduersus Caesarem, & Hispanum destinatione obduratos tenerent, cùm interea nomen, & pacta pacis erga Imperium vtrumque manerent atque ad tantae perfidiae

pignus

pignus ostendere sese repente inuasuros Namur, Buiainum, Arras, & Grauelingam sicuti & inuadere tentauerunt. Mox, & Fridlandriae Ducem ad consilia defectionis illexere semper paria prioribus, vel etiam atrociora excogitantes. Nam exciuere Turcas etiam: exciuere ex Africa Mauros. Accepere portubus suis: nauibus, & pecunia subsidioque omni iuere contra Regem Catholicum, atq. in Austriacae Domus Regna, Panonniam, & Bohemiam Transiluaniae Racoxcium, & cum eo Turcas Tartarosq. inducere voluerunt inexpiabili etiam mendacio oneratis auribus animisque Tartarorum, vt separatim regna illa inuaderent, cùm Ferdinandum Caesarem, qui sanctus vere est impium esse tyrannum impie testarentur. Quae mendacia Tartarus facile agnouit repudiauitq. simul missis etiam, qui validissimum exercitum Caesari suo nomine offerrent; & iustior ille fuit Gente ista, cui legem officiumq. iustitiae Coelum, & terra magis iniunxere, quaeue titulum etiam cum sibi vindicat propriumq. assumit. Haec adeo non iusta gens per ministros instigatoresque Regis labe illa contaminatur quòd foedera omnia, pro Catholica religione tentata siue inita rompere impedire disturbare studet. Omnes pios conatus

omnia

omnia sancta consilia Austriacorum infense obseruat vt obstare possit. Id adeo fecere cum Electores duo Saxpn atque Brandemburgus, & magnae Britanniae Rex, & Catholici Heluetij Catholicae rei causa in societatem amicitiamq. peterentur, Et quia Gallorum animi violentiae professione semper alijs intolerabiles ipsi sibi nunquam satisfacere possunt, nisi quocumque fert impetus, & natura sequantur, fecere simul haec, atq. ad alia transgressi sunt quae maiestati & officio sui Regis plane indecora essent. Nam cum inter nuptialia pacta Regum duorum esset hoc, vt partis vtriusque legati aditum ad Reginas haberent, idq. partium consensu ita perscriptum esset conseruandae causa, & retinendae communicationis eius, quam sanguinis caritas vinculumque fraternitatis, & natura ipsa requirit: Marchioni Merabelis; & Christophoro Beneuentano, qui Catholici Regis legati deinceps in Regia illa fuerunt, negauere diù facultatem adeundi atque alloquendi Reginam Christianissimam Hispaniae Infantem. Eaque repulsa data legatis est praeter ius gentium, praeter matrimonij conditiones, praeter naturae leges officiumq. mutuum erga Catholicum Regem in cuius aula nunquam Galliae Regis Legatus alloqui Re-

ginam

ginam officij sui munere voluit atq. postulauit quin facile admitteretur. Ac tanta eius officij cura, & religio fuit, vt Gallico legato vltro denontiaretur: diceret si quando prohibitus aditu fuisset: namque mentem esse Regis, vt & negati aditus ei redderentur, & noui concederentur. Neq. potuit Legatus ille dicere semel fuisse sibi negatum. Sed Galli, nec pacis, & amicitiae haec, nec solita belli iura vnquam seruare didicerunt: Sanctumq. apud Barbaros etiam Legatorum nomen inter bella varijs modis saepe violauere: & in media pace, si qui ab Rege Catholico missi per Galliam iter haberent, detinuere ministros tabellariosq. & familiares eius, eisq. interceptis & indigne excussis fasciculos, & alia quaecunque perferebant, ademere. Ac ne mari quam terra modestius agerent, mediterraneos quoque portus infamauere detentis ibi Catholicis nauibus, & rapta inde pecunia, quam portabant; sicut & in Oceano ad Portum Icium fecere, vetera nouis malefacta cumulantes.

Huiusmodique fuit illud etiam, quod, vt Austriacam Domum ab mutua ope dirimere nt remque Catholicam in Germania spoliarent auxilijs, quae ab Rege mittebantur, Bernensium, & Rhetorum impijs armis occupauere

Valle-

Valletelinam, Clauennamq. & Ripam, & Bormium, & claustra haec Italiae in perniciem & damna Catholicae religionis insederunt. Atq. irruptio, & inuasio etiam illa facta est, adeó turpi & infami violatione pactorum eorum, quae ad Montonum solemni per duos Reges ritu inita & firmata fuerant, vt Rheti ipsi, quorum agi res dicitur, vexilla inde nomenq. suae Reipublicae procùl habendum esse censuerint, quippe tam foedum opus impiumque abhominantes. Ac licet, quaelibet iniusta violatio pacis detestanda & abhominanda humano generi sit, veluti nimirum aditus, & porta initiumq. & causa cladium vastitatum spoliationum & rerum denique omnium quae funesta, & indigna mortalibus accidere possint: iniuriam tamen hanc Galliae ministri, eò modo consciuere, atq. intulere, qui iniuria ipsa iniquior intolerabiliorq. esset. Namq. operi tam atroci caput dedere foeditate mentis & consilij sui plane dignum: atq. sacrilegi exercitus Imperatorem esse voluerunt Rhotomagi Ducem Caluinicae sectae protectorem ipsumq. Caluinistam. Isteq. ductor impiorum impius expeditionem eam non tam ab Vrbium expugnatione, quam ab direptione templorum orsus est. Coelestium misteriorum vasa vertebat

in

in profanos vsus, & campano aere, quod Ecclesiae ritu ad celebranda sacra sacratum est fracto passim & resoluto vtebatur ad tormenta fundenda, quibus templa deinde ipsa quateret, equaretque solo. Ita metus antiqui redierunt: appropinquare Metropoli haeresim cla-demq. adesse Diuo Carolo Borromeo sanctisq. Pontificibus Pio Quinto, & Clementi Octauo tantopere deploratam atq. formidatam.

Facinus etiam indignissimum & extrema fidei publicae Regiorumque mandatorum contemptio & irrisio illa fuit; quòd tempore eodem, vetabat mandabatque Rex, ne hostile quicquam in Catholicae Maiestatis terras fieret & Agimontum agri Lucemburgensis aliaq. incustodita & nullis moenibus defensa loca Ministri subitis irruptionibus capta diripuerant, itaut nihil omitteretur, quod infestius crudeliusq. fieri posset. Subnectiturq. his haud minus inimicum aliud quod nusquam fieri solet, nisi cùm ex antecondicto ad arma itur, debuerantque hoc maxime tempore ea re supersedere, Ministri, ne cum sui Nominis ignominia & dedecore manaret in publicum fama haec; Luere miseros innoxiosque subiectos quicquid ipsi odio vel ambitione peccant: imò odia ambitionemq. ipsorum recidere ad publica damna

&

& clades. Sustolere commercium omne quod inter Imperij vtriusq. homines esse posset. Si qui Catholici Regis homines aut subiecti, per Galliae Regnum fortunarum & negotij aliquid haberent, horum bona pecunias, fundosque petiere in Fiscum, atq. attinuere. Haec principia & semina fuere bello iniusto, cui propositum inuadere aliena per superbiam, confirmare & propagare Sectas, excindere radicitus atq. extirpare religionem quà felicissimi floret, fructusque vberrimos dat.

Et spectare nihil aliud ipsos, lamentabili euidentia declarauere expeditiones illae ob quas magnifice sese circumspiciunt, gloriamq. sibi assumunt ingentem. Nam quid aliud causae fuit, cur trium exercituum quibus Galliae Regis salus & rerum fere summa contineretur, summam Imperiumque penes Caluinistas esse vellent, nisi vt infirmata sic atque debilitata Gallica Nobilitate populoq. vniuerso, altioribus consilijs ita munirent viam facili successu, si opibus etiam, quae per commercia veniunt ademptis, pars melior aduersus impia occulta destinata stare & mouere nihil posset? Atque non solùm impium eius rei consilium Tyrannicumq. est, sed etiam simulatio consilij planè impia & peruersa. Nam causae suae

fir-

firmamentum quod afferre validissimum possunt, id quidem nouissima est occupatio Treuirorum, quam ipsi Electoris illius captiuitatem appellant. Plane quicquid in Electore causaq. illa factum est iustissime est factum: neq. Galliae Regis animum ea res sensu vel indignatione vlla turbare debebat. Nam cùm inter duos Reges, & propter pacta conuenta, & propter ipsam quoq. rationem paria iura legesq. essent: minime negandum est quin posset Catholicus Rex in Galliae Regem eadem facere, quae Gallus in Hispanum faceret, quocumq. tandem nomine ruptae vel non ruptae fidei, iustarum iniustarumue actionum ministri ista appellarent. Cumq. praeter ius aequitatemq. omnem Galli Treuirorum Vrbem occupassent prius, indeq. praesidium eiecissent quod Rex Catholicus hereditario Protectoris titulo sententiaq. per duos Electores lata, quibus Caesar controuersiae iudicium disceptationemque delegasset ibi habebat: potuerunt Regis etiam huius arma praesidium ex eadem Vrbe eijcere quod nullo iure Gallus ibi collocarat. Nam cur magis Gallo licere oportet praesidium deijcere Hispanum iustae defensionis, & tutelae causa positum illic, quam Hispano licitum sit praesidiarios expellere Gallos, qui specie

defen-

defendendae Vrbis opprimebant eam atque lacerabant. Neque Gallorum causa sit melior hoc ipso, quod Archiepiscopi precibus, & rogatu sese intrasse Vrbem dicant. Nam Archiepiscopus iam exciderat omni iure: ac de capite illo controuersiae iudices cognita causa pronuntiarant: egerantq. circa caput illud hostiliter in Regem Catholicum, & Elector ipse qui proprias in hoc bello partes sibi desumpsit, & Gallus pro quo is stabat. Neq. tamen vlla humanitatis & beneuolentiae modestiaeque etiam officia in Electorem praetermissa fuere: eique per Comitem Embdensem demonstratae causae sunt ob quas ad haec exequenda iura descenderetur. Pertinere ad salutem, securitatemque eius, vt alibi potius quam in Vrbe illa is maneret. Imminere periculum ei ab ira & indignatione popularium, qui raptibus iniurijsque Gallorum incitati discurrebant paene per furorem immisti militibus, vt sua damna cladesq. illatas vlciscerentur: neque Gallos tantummodo ipsos, qui reliquere ibi vitam, vbi seuitiam libidinesq. exercuerant; sed Archiepiscopum quoq. ipsum petebant ad necem qui viperam sibi hanc in sinum demisisset incendiumque domi illud excitasset. Ob ea, placitum Archiepiscopo fuit, ab Treueris migrare

grare Lucemburgum : atque ad praesentiam Cardinalis Infantis inde peruectus tam honorifice ab eo tractatur, quàm in omni alia sua commodiore fortuna optare potuisset. Ampliusque dicendum ita est. Cùm esset Caesari subiectus Archiepiscopus, Cùmque Caesaris autoritate agi administrariq. ita rem eam coegisset cura publicae quietis, & obsequij reuerentia erga eos, quos Deus vnicuiq. Superiores dedit: Non habet Rex Gallus, cur negotio huic sese immiscere velle debeat, nisi si fortè loco legis habet morem illum consuetudinemq. suam protegendi cunctos, qui à principibus dominisue suis desciuere. Quodque Gallica ope sibi vtendum esse censuisset aliquando Elector, consilium eiusmodi suum hodie detestatur abominaturq. simul Ministrorum fraudes & artes, quae speratam & quaesitam sibi opem verterint in manifestae tyrannidis saeuitiam aduersus se subiectosque suos, qnales demum oportet exitus esse omnium, qui amicitiam & promissa Gentis sequi voluerunt. Ac memorans iste intolerabilia & indigna multa, quae perpessus est, quaeue Ministri ijdem per homines suos intulere, ait, palamq. praedicat; hanc sibi sufficere memoriam, vt praesenti rerum suarum statu delectetur: felicita-

tem

tem sibi esse quandam, quòd eorum manus vimque & ambitionem eluctari potuerit, Ecclesijs suis & dignitati Electorali imminentem: gratias agere Numini ob tot discrimina iniuriasq. euitatas.

Caeterùm, in hac causa negotioq. Treuerensi, etiamsi non ea fuissent Catholici Regis iura, quae fnerunt, non ideo tamen potuerat debueratue Gallus attingere vllam eius rei partem, quodque nihil actionis & iuris ad ista Rex ille habuerit, certissimum apud omnes peruulgatumque est. Nam de Electore non dimisso nec tradito quod queruntur, quomodo tandem potuerat Cardinalis Infans de eo statuere quicquam eo tempore scilicet, cùm neque ab Rege fratre, neqne à Caesare litteras & mandata vlla accepisset? Bellumq. tamen Caesari simul, & Catholico Regi infertur non repetitis antea rebus, absq. denontiatione notitiaue vlla ad Principes quorum terrae inualebantur violato gentium & naturae iure tanto maiore violantium culpa, & probro, quia iurauerat Rex nihil vnquam vlla de causa ab sua parte motum tentatumue iri, nisi prius denuntiasset atque expostulasset. Quo pertinuere ista nisi pertinuere eò vt nomine & simulatione pacis ea Gallus assequeretur quae iusto

iusto bello assequi non poterat: perfidaque, & repentina irruptione inuaderet amicum quem bello rite indicto lacessere non ausus fuisset.

Haec omnia hostiliter infensaeque & infide fecere Galli cùm Rex Catholicus in Regiam regnumue illud nihil vnquam nisi amabiliter, & beneuole fraterneq. fecisset, nihilue profectum ab eo esset, vnde vllam vel minimae ac leuissimae querelae causam Rex ille ministriue eius arripere potuissent. Nam quod Christianissima Regina Mater, & Dux Aurelianensis frater vnicus Regis, & futurus regni successor in Rege Catholico subsidium perfugiumque habuere, cur tandem id in iniuriae potius, quàm in beneficij loco ponunt? Cum praesertim tam illustre fuerit insigneque beneficium erga regnum vniuersum nomenq. Gallorum, aduersus insectationes, & odia opem tulisse Principi, qui in praesenti rerum statu ordineque successionis haud ambiguus Regni heres habetur. Et sanctae huic magnaeq. magnanimitati Catholici Regis, qua futurum Regem & Reginam ipse defendit, iniuriae nomen imposuere quae ad totius Galliae damnum ignominiamq. redundarit. Atqui summa modestia summaque amicitiae, & officij religione rem eam fuisse administratam; consensus gentium & fama

com-

communis testatur. Ipseque Catholicus Rex, tum Reginae matri, tum Aurelianensis Ducis testificationi profitenda omnia & declaranda relinquit. Dicant, num tunc cum ex illius Regni finibus in Catholicos sese fines recepere, solicitatio vlla facta sit per Catholicum Regem perque ministros eius ob arcem aliquam siue Prouinciae partem habendam atque possidendam. Dicant, num sermones & colloquia habita cum ipsis vlla fuerint aduersus Regem. Dicat Princeps, num actum cum eo fuerit de re vlla praeterquam de salute ac securitate ipsius, quo Rex frater ad pacta conditionesq. seruandas ea ratione adduceretur, licet amplius aliquid agendum fuerit ob ea, quae ab Rege ministrisque eius iam tunc fiebant. Huic veritati atq. simplicitati animorum etiam consentanea facta fuerunt. Nam, neq. cum Aurielanensis fratri Regi discors exercitum & arma haberet, vllis ex Hispania copijs, ac ne milite quidem vno adiutus auctusq. est: neque posteaquam reconciliata cum fratre gratia ad Narbonam armatus ille stabat, munimenta Catholicus vlla finibus suis adiecit, timuitue ex Gallia quicquam sicuti timendum permuniendumque erat, coalita scilicet concordia inter illos. Et Catholico Regi quietem tranquillitatemq.

hanc

hanc praeclara conſcientia praeſtabat.

Nihil Duci praebitum eſt praeter paucos equites, quos Infans Iſabella cuſtodiae corporis cauſa ei miſit. Et eum in Prouincia Narbonenſi extorris fugitiuuſq. moraretur, pecuniae ſubſidia nonnulla miſſa ſunt, vt ſe domumq. ſuſtentare poſſet. Neq. aut haec, aut hoſpitalia cetera in ipſum matremue eius omitti potuere, pro magnitudine Regis Hiſpaniarum officioq. tantae Maieſtatis. Curaq. interim habita eſt, vt Nuntio Apoſtolico & Legato Galliae Regis, qui in Catbolica Regia erant, cuncta ordine ſignificarentur, prout quidque actum cum Principe eſſet. Catholicae Maieſtati cordi ſemper hoc fuerat, vt officijs, & animi ſignificationibus hiſce saepius alias quoq. repetitis continuaret illam inter duo haec imperia concordiam, & pacem quae ad Chriſtianae Reipublicae conſeruationem, & gloriam grande adeo momentum haberetur. Interponebat inter duos fratres eodem tempore ſeſe pacificatorem, & mutuis offenſionibus turbata pectora ad aequitatem adducere conabatur alia profecto omnia acturus ſi quidquam hoſtile meditaretur in Regem illum miſerum in ea ipſa re quam rem miniſtri eius pro gloria, & felicitate ingenti proponere ei, & venditare pergunt.

gunt. Nam, etiamsi totum illud quod recta aestimatione probrum dedecusque est, gloria famaque, sicuti appellant ipsi, esset: quae nam haec tandem gloria & fama videretur, quae traheret ac ferret haec omnia secum: Christianiss. Regis perniciem diminutionemq. Maiestatis, & fidei suae proscriptionem, & exilia matris simul & Regis, & suplicia procerum subiectorumq. tantorum? Quis temperare à lacrimis possit ob Catholici Ducis Memoransij recordationem, cui diuisum à corpore caput tam duro exemplo fuit. Et Rothomagi Dux interim alijq. Caluinistae magnorum facinorum rei tanta cum indulgentia dimittuntur. Quis natione Gallus, ac ne Gallus quidem, sed tantummodo Catholicus alienigena non commouetur angiturq. humanitatis, & misericordiae sensu, dùm omnium qui in illo imperio viuunt miserias atq. calamitates audiat & mente contempletur? periere in Gallia paucis hisse annis ciuili ferrò venenoque plures quam per tota secula in regnis Prouincijsque alijs perijsse legantur: & venena ibi publica autoritas priuata malitia propinauerunt: Ergastula illic, & latumiae adspiciuntur nouis horrendisque exemplis non solum replete captiuis celebri ob virtutem integritatemq. fama,

sed

sed etiam ita cõstipatis densisq. caterris, vt nullus vltra captiuus conijci, & abstrudi illuc possit. Atq. haec omnia fiunt ob saeuitiam, & immanitatem animosq. turbolentos istorum, qui ad miserrimae Nationis gubernacula sedent tenentque Regni clauum. Furiae sunt istae, quae Prouincias illas aerumnosissimas malis inexplicabilibus inuoluunt: & finis ille demum, vt alij per tributa spolientur in pace: alij tam iniusta arma sequentes ferro cadant. Caeterum Catholica Maiestas haec omnia considerat. Nullam in Gallia fieri intermissionem, tum fidei deserendae pactorumq. violandorum, tum etiam arma bellumque inferendi: spoliandi exturbandique Catholicos Principes: inuadendi Prouincias, arces, & loca consanguineorum amicorum foederatorumq. suorum: opprimi violentia iniurijsq. ijsdem sacrum Romanum imperium: labefactari atque conuelli Ordines Principes libertatemq. eius: tentari infestariq. Prouincias longa temporum successione sibi possessas: foueri inde sustentariq. hostes rebellesue suos: nihil vnquam profuisse crebras super ea re querelas reclamationes denontiationesque suas, quas interponere non destitit fugitans damna maiora Catholicae religionis, & imperij vtriusque simul sperans

futurum

futurum aliquando tempus, cùm cognita & plane perspecta querelarum suarum aequitate cessaretur ab violanda pace, quae iureiurando sancita & firmata esset. Considerat deniq. Maiestas eadem, iniuriose tractari Legatos Ministros subiectosq. suos: seque & Maiestatem Caesaris, nunc occulte, nunc palam peti machinamentis, & fraudibus, per quas sibi necessitas summo suo & acerbissimo dolore imposita sit onerandi tributis, & exactionibus regna subiectosque suos parandae defensionis causa. Considerat subrui ita euertiq. Catholicam religionem, cuius causa tuendae, & amplificandae Maiestas eadem agit cuncta, & molitur, quidquid inuidia demum mentiri & calumniari pergat. Considerat, Galliae Ministros per indignissimam fidei publicae contemptionem anteponere sua peruersa consilia legibus vniuersis, & gentium ac naturae iura conculcare cùm nulla tantarum iniuriarum causa praebita sit. Considerat, nusquam Ministros eosdem nisi simulatae & fictae pacis tempore inualuisse ad violentiae perfidiaeq. opera ista, quas ipsi gloriosissimas actiones apellant. Atq. ob haec omnia, non solùm, quia ad vltimum patientiae peruentum est, sed etiam quia necessaria cura & tutela Catholicae religionis

Regno-

regnorúmq. suorum vrget.

Statuit ideo Catholica Maiestas, primo quidē loco mouere propriae defensionis causa bellum aduersus illata sibi prius Galliae arma, quae nulla iusta de causa peruagantur passim ipsius Prouincias, & laedunt. Secundo autem loco ferre Caesari & Sacro Romano Imperio opem, ea mente consilioque, vt foederatos, propinquos, amicosq. suos in patrimonia fortunasq. pristinas, vnde fuere deiecti restituat, adigatque Gallum ad ea seruanda, quae secum, & cum Caesaris Maiestate pacta habet. Eius rei consequendae & efficiendae causa agere atque experiri prout agendum experiendumque esse ne Galli quidem inficiari possunt. Id erit grassari armis & bello aduersus Gallum, sicuti Gallus per omnia infesta & inimica grassatur, Verùm id diuersa ratione fiet, ac via. Nam Gallus iniuste atque inique omnia egit, tùm spernendo pacis conditiones ac rumpendo quae erant: tum causas arripiendo plane inanes & vanas: tum peruersis quoq. modis exequendo destinata, vt dum terras inuaderet alienas, euerteret Principes innoxios, Religionemque Catholicam ex vniuersa Europa tollere ac delere conaretur. Contra Rex Catholicus iuste cuncta & rite acturus est vt iniquè aflictos Principes

cipes

cipes, afflictam impie religionem in pristinum statum restituat, reddatq. pristinum huic florem illic vbi florebat, atq. vigebat prius. Ac licet ob atrocitatem saeuitiamq. rerum iustitia causa Regi Catholico praebita sit parandi, & mouendi arma, non solum quibus sua suosq. tueatur, sed etiam quibus Galliae regnum Regemq. persequatur implacabili animo, cogatq. Ministros illos ea pati iuste, quae praeter ius intulere alijs: res tamen apud vniuersos nota & manifesta est, eademque tanti Regis pietati, & mansuetudini consentanea simul & admiranda: non scilicet bellum esse hoc offendendae Galliae causa directò proprieq. comparatum, sicuti nunquam Hispanis armis ea directò ofensa fuit: sed pertinere ad vindicandas tantummodi iniurias vsurpationesq. Gallorum quibus Catholica res semper offensa est offenditurque adhuc: pertinere ad salutem vtilitatemq. subiectorum suorum, quos liberare tributis, quorum sarcire damna Maiestas haec decreuit: demumque curam esse hanc, & gerendi belli consilium, vt sacri Romani Imperij Maiestas salua sit: vt impijs iniustisq. factis modus imponatur, quae prauitate Ministrorum nomine Regis ex Regia illa manare non cessant: vt pacta, promissa conditiones

ser-

seruentur, quas cum Caesare simul & cum Rege Catholico interposita sacramenti fide Rex ille firmatas habet, & violare Ministri quotidie pergunt, vt noua inita pace firmatisq. de integro conditionibus quae nunquam postea violari debeant restituantur Caesari imperioq. & Lotharingiae Duci & ipsimet Regi Catholico & foederatis multis amicisque Principibus ea quae Galli modis indignis per fraudes dolosq. interceperunt atque ademerunt. Hanc sibi necessitatem iniunctam esse videt Rex nisi deserere velit Regnorum Prouinciarumque defensionem, quas Prouincias & Regna Prouidentia Numinis eius Imperio subiecit. Adigiturque simul ea necessitudine quae sibi cum Caesare, cum sacro Romano Imperio, cum Principibus Ordinibusq. eius intercedit, cùm sit insuper ipse pars & Princeps Imperij, atque in Circulo Burgundico, natiuae praerogatiuae iure vnus ex decem, qui constituunt Imperium. Adigitur item suae Magnitudinis & potentiae praerogatiua, qua nullus in Italia Principum coniunctior Imperio est, nullusue est, qui momenti tantum in eiusdem Imperij rebus facere possit. Eoq. etiam nomine pertinet ad ipsum cauere ac prospicere, ne turbare exteri & inquietare Maiestatem illam possint. Stimulat etiam atq. vrget tutela

legi-

legitima terrarum & Principum suae Domus, eorumue, qui in fidem & amicitiam venêre; quam deserere tutelam nullo modo potest aut debet, si maiorum suorum vestigijs insistere velit, qui semper ista defenderunt. Stimulat atque vrget defensio Catholicae, Apostolicae, Romanae, vnicae, veracissimae Religionis, Ecclesiaeque Sanctae Pontificisque Maximi, qui Iesu Christi Vicarius est, eamque gubernat. Huius namque Religionis & Ecclesiae primogenitus filius est Catholicus Rex, clypeus gladiusque idem ad eius gloriam semper quidem, sed nunc maxime intentus. Et solicitat regium animum cura publicae quietis, vt Christiana Respublica demum, subiectique sui omnes, & Gallia ipsa pace perfruatur, fructusq. & mutuae vtilitates demum illae percipiantur, quarum causa toties ad foedera itum est, toties fides obligata vicissim conditionibus & pactis & sacramentis & iureiurando. Abhorret autem Cathol. Maiest. animus ab eo, vt Gallici Regis haereditaria antiqua iura contrectet, siue attingat: ac ne turrim quidem vnam ei Regno iuste, & legitime possessam sibi habere vult. Vult quidem sarciri damna quae per bella iniusta illata sunt; restituique Principes in eum fortunae statum, vnde per vim, & iniuriam deiecti fuere: vult cessari de-
inceps

inceps ab hostilibus iniuriosisq. factis: pacemque fieri, quae vtriusq. Imperij subiectis saluti sit. Vult demum in dilectissimi fratris loco complecti Galliae Regem: vult sublatis omissisq. dissidijs & pacatis stabili foedere rebus, otium facultatemq. habere conuertendi Catholica sua arma in barbaros impiosque sicuti semper huic Imperio factitatum est. Hanc mentem esse Catholici Regis perpetua ipsius pietas, & religio magnanimitasq. promittit.

Atq. in huius libelli fine ponitur denunciaturque hoc. Falsa & ementita impiaque fore omnia quae praui peruersiq. homines praedicare secus at diuulgare volent. Eos ambitionis & perfidiae suae causa nihil agere aliud, quàm, vt turbata Christianissimi Regis mente, res omnes humanas turbis exitioq. inuoluant. Clades, & ruinas & damna quae sequentur non assignanda fore Catholico Regi, qui nihil aliud spectat agitq. quàm vt Imperia humana intra terminos eos pacate, & tranquille contineantur, quibus terminis, & finibus ea circumscripsit Numen: sed eorum cupiditati, & ambitioni fore assignanda, qui rupta toties publica fide rationis mentisq. expertes, genus humanum in arma compellunt, & vastitatem so-

inceps ab hostilibus iniurijsq. factis: pacemque fieri, quae vtriusq. Imperij subiectis saluti sit. Vult demum in dilectissimi fratris loco complecti Galliae Regem: vult sublatis omissisq. dissidijs & pacatis stabili foedere rebus, etiam saeculi auxiliq. habere cohortandi Catholica sua arma in barbaros impiosque sicuti sempe huic Imperio sufficitum est. Haud mentem esse Catholici Regis perpetua ipsius pietas, & religio ac magnanimitasq. promittit.

Atq. in huius libelli fine ponitur denunciaturque &c. Fallit & mentitur impostor sine omnis quae plane peruersisq. homines praedicare secus ac dico parare volent. Eos simultam nisi perfidiae suae causa nihil agere aliud, quam, vt sanctissima Christianissimi Regis mente, rec omnes firmatae tractis exitioq. inuoluant. Clades, & ruinas & flumina quae sequentur non assignandas fore Catholico Regi, qui nihil aliud spectat agitq. quam vt Imperia humana intra terminos eos pacare, & tranquille contineantur, quibus terminis, & finibus ea circumscripsit Deus non: sed eorum capitibus, & ambitioni fore assignandas, qui rupta toties quibus ea fide rationis neduq. experte, genus humanum in arma compellunt, & vastitatem solitudinem miseriasque omnes inferre Mundo conantur.